Vbiq; ad modum ſpeculi relucet, radiorumq; ſuorum exi-
mio nitore aërem circumfuſum tingit. Nobiliſsimus Sar-
donyx erat, qui mira trium colorum temperie oculis gratū
prabet ſpectaculum. Imitabatur præclariſsimum Topazium
qui omni colorum genere reſplendet, ſiq; à ſolaribus radijs
tangatur, omnium rerum ſublunarium excedit claritate.
Tota deniq; cryſtallus erat ita perſpicua, maculaq; expers,
ita pernitida lucidaq;, ita fulgida, lateq; inuiolata, vt iure
vaſculum omnis pulchritudinis, hortulum deliciarum, et
verum microcoſmū appellare debeas. Quaris fortaſſe in B.ma
Matre exquiſita pulchritudinis amænitates? pulchra vt luna
eſt, quæ omnem excedat Mundi pulchritudinem; quaris
ſingularem immenſamq; formæ venuſtatem? ſpecioſiſsima
eſt, atq; formoſiſsima. quaris abſolutiſsimam perfectiſsi-
mamq; membrorum dimenſionem? nec ea hic deeſſe poteſt
eſt enim opus à ſupremo illo totius Vniuerſi Architecto ſin-
gulari ſtudio elaborata, mira arte confecta, inaudita nobi-
litate decorata. quaris deniq; decorem omni ex parte
perfectum? formam ſuauiſsimam, delicatiſsimamq;? pro-
fecto pulcherrima, abſolutiſsima, vniuerſeq; perfectiſsima
et delicatiſsima eſt, vt omnia hoc vnico complectar verbo.
Deum potentiſsimum, inuictiſsimū non tota totius corporis
pulchritudine, ſed vel in vno oculorum, et vno crine colli ſui
formoſiſsima Virgo vulnerauerit, læſerit, atq; deuicerit
tanta eſt Pulchritudo Virginei Corporis.